



**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Diff. II. Quod velit illud principium, Facienti quid in se est Deus non
denegat gratiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

potest facere, hoc ipso non potest facere quod potest facere; quæ duo sunt implicatoria, potest enim agere ut supponitur, non potest autem agere, quia implicat ut agat. Nam Ly implicat supponit pro non potest.

Neque valet si dicas, quod illi gratiæ, quæ est ad posse agere, licet non ad posse agere actu, quod inquam illi gratiæ non sit impossibile agere, sed tantum sit impossibile agere actu. Non inquam valet. Quia si illi est impossibile agere actu, est impossibile agere, cum non agatur nisi actu. Sicut si impossibilis est alicui visio, impossibile etiam, est videre, cum illud videre, visione exerceatur.

Tum quia, implicat ut illud posse agere non dicat ordinem transcendentalem ad aliquid in linea posse agere. Sicut intellectus dicit ordinem transcendentalem ad intellectiones, voluntas ad volitionem. Si autem gratia sufficiens daretur non nisi ad posse agere, ad quid rogo diceret ordinem transcendentalem? non ad effectum seu actionem: quia hæc illi implicat, nihil autem aliud ostendi potest.

Neque valet dicere, quod gratia sufficiens datur quidem non tantum ad posse agere, sed & ad posse agere actu, licet non datur ad agere actu: quia hoc ipso nostram sententiam tenebis: non enim jam defectum actionis rejicere poteris in ipsam gratiam, sed in malitiam creaturæ.

Tum quia, nihil potest constitui sibi opposito: hoc ipso enim non esset hoc quod est, si sibi opposito seu eo, quod non est, constitueretur. Ergo nec posse agere constituitur sibi opposito. Sed ipsi posse agere, est oppositum non posse agere, sunt enim hi contradictorii termini. Ergo etiam ipsi posse agere, est oppositum non posse agere actu, quod ipsum probatur. Quia in re non posse agere actu, & non posse agere sunt idem, sicut in re idem sunt, non posse existere actuali existentia, & non posse existere. Sicut enim existere exerceatur actuali existentia, ita & agere actuali actu, quia ipsum posse agere, involvit actu.

Objicitur 1. Si gratia sufficiens, non tantum daret posse agere, sed posse agere actu, nullo distingueretur à gratia efficaci.

Respondetur. Illam fore distinguendam, non quidem in ratione entis, sed in ratione doni, distinguunturque non ratione posse agere actu, quod importat rationem virium, sed ratione connotatæ, vel non connotatæ operationis.

Objicitur 2. Ad operandum non solum est necessarium auxilium præveniens, sed etiam cooperans. Sed gratia sufficiens excludit cooperantem. Ergo non adfert omnia necessaria ad operandum.

Respondetur. Dupliciter posse nos spectare auxilium cooperans, in actu primo, & in actu secundo. In actu primo spectatum est auxilium præparatum à voluntate Dei, si homo velit operari. Sic sumptum auxilium cooperans

est necessariū, habeturque in omni auxilio sufficienti; in actu autem secundo auxilium cooperans, est actualis exhibitio illius auxilii, & sic tale auxilium non datur quidē sine ipsa actuali operatione, quam non habet sufficiens, sed etiā non est ad agendū necessarium: quia non distinguitur ab ipsa actione causæ secundæ, quæ ad se ipsam per modum principii non est necessaria. Confule de hoc Suarez Lib. 4. de Aux. cap. 4. n. 12.

Objicitur 3. Auxilium efficax importat operationem; quæ ipsa operatio est gratia: ex qua propositione duo sequuntur. Imprimis: quod in auxilio sufficienti non reperitur aliqua gratia, quæ reperitur in efficaci: Deinde: quod illa non datur ad operari actu: quia dari illam ad operari actu, est dari cum illa gratiam illam operationis.

Respondetur. Quod operatio ipsa gratiosa sit quidem gratia. Unde etiam ipsam actualem Beatitudinem appellat August. alicubi gratiam, sed non est gratia sumpta pro viribus operandi, sed gratia sumpta pro dono, & quasi effectu virium operandi. Unde non reperitur quidem in auxilio efficaci aliqua gratia sumpta pro ratione virium, quæ saltem in actu primo proximo non habeatur in sufficienti proxima gratia, licet reperiat aliquam gratiam in ipsomet efficaci adjutorio, sed sumpta pro dono aliquo gratuito, & effectu virium.

DIFFICULTAS II.

Quid velit illud Principium. Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.

Inter fundamenta quare datur gratia sufficiens usurpari solet illud Axioma; facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. Ripalda disp. 20. ponit 8. diversos sensus prædicti proloqui, attingemus speciales.

Explicant 1. Aliquis facienti quod in se est ex viribus naturæ Deus non denegat gratiam supernaturalem. Et isti opesibus ex solis viribus naturæ factis tribuunt meritum de congruo, aut vim dispositivam, & quidem quod habeant rationem meriti de congruo docuit Durandus, Gabr. referens pro se Occham. & Scot. his adde Almain. Majorem. Javell. Turrecrem. Cumerar. & S. Th. in 2. dist. 28. q. 1. a. 1. Sed dicitur retractasse 1. 2 d. q. 109. a. 6. quanquam Nofter Valq. ubiq; dicit contrarium fuisse S. Thomam huic explicationi. Quod prædicta opera remotè non nisi disponant ad justificationem, eò quod proximè mereantur non nisi auxilia actualia supernaturalia, ita docuit Driedo, Becanus, Henricus, Conradus, Viguerius, Gerfon: Alens, Scotus, Cajet. quos recitat in particulari Ripalda disp. 16. S. 1. his accessit suo modo Lessius de Auxil. append. ad cap. 10. & Arriaga in MS. ut se refert hic disp. 41. n. 14. *Hæc Explicatio*

NON

NON SATISFACIT. Tum quia dicit Trident. Sess. 6. de Justif. cap. 5. *Declarat præterea (supple sancta Synodus) ipsius justificationis exordium in adultis, à Dei per Christum Iesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, quâ nullis existentibus eorum meritis vocantur.* Per oppositos autem vocantur existentibus meritis virium naturæ. Similia habet Can. 3. revocatque se ibidem in marg. ad Arausic. 2. Tum quia, August. Lib. de Gratia Christi c. 22. sic ait: *Gratiam Dei sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem attinet veramque iustitiam fieri posse non dubitet.* Et tamen per oppositos, viribus naturæ id fieri posse dicitur, quod pertinet ad pietatem, & collationem gratiæ supernaturalis. Similia habet Libr. de Bono Periev. c. 13. *Satis dilucide ostenditur, inquit, inchoandi gratiam Dei, non secundum merita nostra dari, sed donari secundum ipsius secretissimam, eandemque iustissimam, beneficentissimam sapientissimam voluntatem.* Similia habet Sermon. 15. de verb. Ap. cap. 2. *Gratia præcessit meritum tuum; non gratia ex merito, sed meritum ex gratia.* Tum quia. Damnatus est error Semi-Pelagianorum, qui dicebant, quod secundum merita naturalia justificatio nobis tribuatur, dicebantque justificationis initium esse ex nobis, bona scilicet naturalia ponentibus, quorum intuitu det nobis Deus supernaturalia. Hanc nihilominus sententiam ab hoc errore excusat Medina, Suar. lib. 3. de Aug. cap. 2. n. 6. Tann. disp. 6. q. 3. n. 221. Nihilominus quidquid sit de Censura, argui contra illam potest. Concedamus enim quod Semi-Pelagiani negarint omnia auxilia supernaturalia, quæ antecedant liberi arbitrii usum. Sed an non in hoc etiam errarunt, quod dixerint intuitu meritorum naturalium dari gratiam; naturamque esse inchoativam justificationis? Quod autem etiam hoc sensu damnati fuerint, colligitur ex ep. 91. Aug. Unde est illa longa Arausicani Can. 6. Enumeratio: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri, non autem divinitus, ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus &c. aut humilitati, aut obedientie humane subjungit gratia adiutorium, resistit Apostolo dicenti: quid habes quod non accepisti.*

EXPLICANT 2. alii; facienti quod in se est ex viribus gratiæ supernaturalis, Deus non denegat ulteriora auxilia supernaturalia. Hanc explicationem tuetur post alios Tann. de grat. d. 6. q. 3. n. 216. *Hæc Explicatio.* Si accipiat obiectum Doctrinæ, vera est, indubiè enim Deus dat auxilia ulteriora supernaturalia, operantibus bene supernaturaliter. Sed Nego dicti proloqui hunc esse sensum.

RATIO. Tum quia. Dubitatum semper de sensu illius proloqui; & non dubitatum un-

quam de obiecto doctrinæ allato. Tum quia. Ut advertit Ripalda d. 20. n. 1. non dicitur, facienti quod in se est Deum conferre gratiam, ut illam conferat omnibus bene utentibus supernaturalibus donis. Sed dicitur Deum non negare gratiam, quæ significatio videtur minor, & extenuativa. Ergo sensus illius Axiomatis debet ostendere nexum extenuativum cum gratia. Tum quia. Si foret persuasio Doctorum de tali sensu, frustra esset recursus, à tot Auctoribus factus ad aliquid naturale.

EXPLICAT 3. Ripalda. Quotiescunque homo agit quod sibi datum est, ut actum virtutis naturalis efficiat, jam ad est antecedenter Deus, cum gratia supernaturali, ut vel eum actum intrinsecè naturalem, extrinsecè supernaturalem, ac subinde salutarem edat, vel simul cum actu intrinsecè naturali, alium ejusdem virtutis intrinsecè supernaturalem eliciat circa idem obiectum formale. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia. Non convincit illud, quod antecedenter ad actum naturalem detur gratia supernaturalis: & effect enim ille actus naturalis ut supponitur, & non efficitur quia proficisceretur, à principio supernaturali. Et sicut principium naturale connaturaliter, ut supponitur non elicit actum supernaturalem, nec principium supernaturale connaturaliter elicit actum naturalem; fundatur hoc ultimum hoc principio: quia unaquæque potentia determinat sibi certam speciem actuum. Quæ ratio probat hunc actum non extrinsecè, sed intrinsecè debere esse supernaturalem. Tum quia. Si dicti Axiomatis esset hic sensus; Deus antecedenter ad actum naturalem dat gratiam supernaturalem tunc non esset verum, facienti quod in se est, Deum non denegare gratiam: Jam enim antecedenter ad actum daret illam gratiam, & tamen hoc quod dicitur non denegare, importat formalitatem subsequenti. Tum quia. Si verum esset, quod dum agit actus supernaturalis, conferat Deus auxilium supernaturale, ut circa idem obiectum eliciatur actus supernaturalis, possemus esse securi de nostra justificatione, quod est contra Paulum & Trident. Sequela autem probatur, quia de fide, habentem actum supernaturalem amoris, justificari infusione gratiæ, cum qua non stat peccatum. Ergo cum eliciendo actum naturalem v. g. amoris semper eliciamus actum supernaturalem itidem amoris, eliciamus id quod tribuitur infusione gratiæ, à deo quæ certum est de nostra justificatione. Deinde ponamus quod aliquis non nisi actum naturalem velit facere, quomodo debebitur illi simul gratia supernaturalis. Sed posito quod etiam veller actum supernaturalem facere, inquirendum veniet de illius velle quale esse debeat: Si naturale, redeunt Argumenta contra primam explicationem allatam.

si supernaturale, redeunt argumenta facta contra secundam explicationem.

Sed accedamus ad explicationes, quæ teneri possunt.

1. EXPLICATIO est. Quam habet Herize. r. p. d. 27. cap. ult. Ea sic proponi potest.

Distincta sunt hæc: facienti quod in se viribus naturæ, datur gratia supernaturalis. Et, quia facit aliquis quod in se est viribus naturæ, ideo illi datur gratia supernaturalis. Hæc secunda Propositio est falsa, & favet formali Semi-Pelagianismo. Prior autem propositio vera est, sensumque dicti Axiomatis facere potest. Inter illas autem duas propositiones hæc differentia est. Quod in priori non significatur nisi mera concomitantia, aut potius ex præsuppositione sequela gratiæ supernaturalis post actiones naturales. In posteriori autem significatur, nexus, causalitas, illatio positionis gratiæ, ex antecedentia meritorum naturalium. Unde ulterius concomitantia illa gratiæ supernaturalis ad actiones naturales, licet non supponat quod illæ actiones ponant aliquid morale ad illam concomitantiam, supponit tamen aliquid poni physicè ad cuius positionem sequitur collatio gratiæ supernaturalis. Et sicut v. g. positio naturæ rationalis est aliquid præsuppositum physicè ad infusionem gratiæ, neque enim illa nata est ad infundendum brutis, nihilominus præsuppositio illa naturæ rationalis non confert quidquam morale ad infusionem illam gratiæ, ita etiam actus illi ponunt præsuppositionem physicam, non moralem.

DICES 1. cum Ripalda. Gratia antecedere debet conatum etiam naturalem. Ergo non debet esse nonnisi concomitans.

RESPONDETUR. Si sit res de gratia cum addito & ordinis naturalis, verum est Antecedens. Si autem procedat de gratia supernaturali, falsum est Universaliter.

DICES 2. Non potest probari quod actus naturalis physicè conferat, ut detur gratia supernaturalis nisi simul conferat moraliter. Certè enim existentia actus naturalis conferre non potest ad id nisi ut prævisum; ut prævisum autem non potest conferre nisi aliqua ratione, aut ex natura rei, aut ex lege Dei prævisio moveat ad collationem gratiæ.

RESPONDETUR. Probat multum Argumentum, quia probat naturam rationalem, quæ præsupponitur infusioni gratiæ, movere ad collationem gratiæ, probat item quod merita conditionata, quæ prævidentur per omnes nostros ante prædestinationem, sint motiva prædestinationis. Deinde Concedo illorum actuum existentiam conferre ad infusionem gratiæ ut prævisum, hoc tamen quod est prævideri non est necesse prævideri, ut motivum dandi, sed prævidetur, ut aliquid antecedens & prævisum ad dationem.

DICES 3. cum eodem. Ex vi huius explicationis non conceditur facienti quod in se est gra-

tia efficax, sed sufficiens, quod tamen dici non potest. Nam sufficientem æquè habet qui non agit quod in se est, ac qui agit.

RESPONDETUR. Facienti quod in se est, quocumque tandem sensu Catholico, conferatur quidem interdum gratia efficax, sed cur non conferetur etiam sufficiens, quod enim fundamentum huius Assertionis. Dici etiam potest, facienti quod in se est conferri gratiam sufficientem etiam proximè, licet non facienti quod in se est, gratia conferatur remotè tantum sufficiens, ordinariè loquendo: ita tamen ut Axioma prædictum non liget Deo manus, quominus extraordinariè misericordiâ suâ utatur. Ad eum modum, quo per oppositos, etiam datur non facientibus quod in se est, interdum gratia efficax, ex eo, quia illud axioma non arctat misericordiam Dei, licet ad eam consequendam vi ordinariâ sit facere quod in se est. Quod autem hæc sit res non tantum de efficaci sed etiam sufficienti gratia innuit, Suar. Lib. de grat. 4. c. 5. n. 35.

EXPLICARI potest 2. dictum Axioma cum Suar. hic lib. 4. c. 15. n. 38. Quod scilicet non ponens impedimenta gratiæ per peccatum, adeoque faciens quod in se est, negativè id intelligendo, hoc est non ponendo obicem gratiæ, tunc Deus illi infundit gratiam supernaturalem, homo enim a actibus naturalibus licet non possit gratiam mereri, potest illam tamen impedire, per suos actus naturales malos, ideoque quando illa caret, illi imputatur, quia illam impedivit. Hocque indicavit S. Th. 3. cont. Gent. c. 159. *illi soli gratia privantur, inquit, qui in seipsis gratia impedimentum præstant.* Hoc ipsum sic ulterius Exponitur. Duplicia in nobis opera sunt, quædam quibus bene agimus, & alia quibus non malè agimus, & ita si demus eleemosynam bene agimus, si autem non accipiamus quidquam pauperi, non operamur malè; quia tamen qui operatur bene, hoc ipso non operatur malè, & quia non operans malè, cum non detur pura omisio, hoc ipso agat, fit, ut hæc duæ formalitates bene agere & non malè operari inter se innectantur. Porro hoc ipsum agere bene, & non malè operari, cum possit ad alios, & alios fines dirigi, potest etiam dirigi ad consecutionem gratiæ supernaturalis, tanquam finem, sive illa sufficiens, sive efficax sit. Quæ ipsa directio ad illum finem. Dupliciter adhuc potest fieri, vel per positivum aliquè influxum, vel per merum Non impedire. Illud operari bene naturaliter, vel illud malè non operari, non possunt in finem collationis gratiæ dirigi, tanquam aliquid positivè influens: quia hoc esset favere Semi-Pelagianis. Quia tamen verum est eum, qui malè non operatur, impedimentum non ponere; quis enim bonum impedit, bene agendo? fit ut illa opera habeant se per modum non impediens, & per modum aufferentis obicem.

Duorum horum distinctio habet fundamentum in multis, tam physicis quam moralibus instantiis.

(S)

stantiis. Et ita v. g. calor confert ad ignitionem positivè, non habere autem multos humores siccandos est remove, prohibens, & Negativè concurrere. Quando itaque aliquis non ponit malum usum sui arbitrii, qui est naturalis, is non ponit impedimentum quod auferri deberet, per collationem auxilii. Quod autem in oppositum adfertur sequi ex hac explicatione, facienti etiam actus indifferentes, vel actus merè externos, non denegandam gratiam, id non convincit. Negamus enim dari ullos actus in individuo indifferentes. Negamus dari ulla præcepta quæ saltem ex consequenti non inferant præceptum alicujus actus interni. Concesso autem, quod etiam actionibus indifferentibus elicitis non ponatur obex gratiæ, inde non sequetur, quod ipsa non denegatio gratiæ æqualiter respiciat actiones indifferentes: proximius enim respicit nolle operari male, & operari bene, ad eum modum, quo si lignum sit album, non est positio impedimenti ne ignescat, est tamen remotio proximior impedimenti, quod non sit humidum, ita proximior est remotio impedimenti, non ponere utrumque malum arbitrii, quam exercere actiones indifferentes.

EXPLICARI potest 3. Aliquantulum immutando ea quæ superius ex Ripalda allata. Facienti quod in se est, v. g. urgente præcepto vel commoditate confessionis, Deus non denegat gratiam suam supernaturalem, ut eliciat actum doloris supernaturalem, idque hoc sensu. Sicut in ordine naturali, Deus, prout est causa prima naturalis, non denegat suum concursum, cum incumbit, vel occurrit hic & nunc operari creaturam; ita ut non nisi ex particulari aliqua ratione, & miraculosè agens Deus denegat concursum naturalem; ita & in ordine supernaturali Deus tanquam causa prima supernaturalis non denegat suum concursum proximè, nisi accedat ratio aliqua particularis, v. g. pena peccati, quia autem non constat homini, de illis invisibilibus, & indiscernibilibus actibus: neque enim possumus in nobis actum naturalem, à supernaturali, experiendo discernere, possumusque cogitare an non Deus sit usus hæc suâ particulari ratione; sit ut sperare possimus, non credere quod actum supernaturalem ex gratia profectum habeamus, ipsamque gratiam sanctificantem. Si autem denegat nobis hanc gratiam, non operabitur adhuc miraculosè: quia operabitur ad exigentiam peccati, & suæ offensæ, in ordine autem physico miraculosè operaretur, si non ad exigentiam causæ, vel contra illam operaretur.

DIFFICULTAS III.

Quibusnam deur Gratia sufficiens?

Fusiùs ab aliis dicta in compendium redigendo.

ASSERO 1. *Gratiam sufficientem dari*

omnibus

RATIO. Tum quia, Deus vult omnes salvos fieri, quod non posset verificari si media, illis ad salutem non prævideret, pendentia non nisi à sua manu: Nam volens finem debet velle & media, si illa ita sint non nisi in manu volentis finem, ac est in manu ejus volitio finis.

Porro hæc media sunt gratiæ, quæ solæ sunt proportionatæ fini salutis nostræ & visionis Beatæ. Cumque non prævideantur gratiæ efficaces omnibus, saltem provideri debent sufficientes. Tum quia. Joan. 1. dicitur: Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ergo si non illuminat omnes efficaciter, saltem illuminat omnes sufficienter. Tum quia. Certum est, Christum pro omnibus esse, mortuum quod fundatur in 1. Joan. ipse est propitiatio nostra pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed & pro totius mundi, & 2. ad Cor. 5. Pro omnibus mortuus est Christus. Eoque servit illa comparatio, quod sicut in Adam omnes mortui sunt, sic in Christo omnes vivificentur. Et quæ in oppositum adferuntur hoc solum volunt, quod Christus noluerit in ordine ad dandas omnibus gratias efficaces, offerre mortem suam, quomodo autem mortuus esset pro omnibus, & non omnibus effectus mortis illius per gratias & media offerretur saltem sufficientia.

ASSERO 2. *Dari gratiam sufficientem omnibus Barbaris*, ad quos nulla pervenit fama supernaturalium, de quo integerrimam disp. ponit Ruiz de Prædest. 46.

RATIO. Tum quia, expressè dicit Apostolus Rom. 1. *Quod notum est Dei, manifestum est illis: Deus enim illis manifestavit*, refertque Paulus illam manifestationem in visibilia mundi, in quibus invisibilia Dei intellectu conspiciuntur. Subdit, *ita ut sint inexcusabiles*, quomodo autem inexcusabiles essent, si nulla illis gratia sufficienter offerretur. Tum quia. Præter alia loca Augustini quæ refert Ruiz d. 39. S. 4. ita habet lib. de Spiritu & lit. c. 33. *Vult Deus omnes homines salvos fieri, in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, ut adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes iustissime judicentur, quodcumque sit, respiciendum contra voluntatē Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt.* Tum quia. Ita expressè docet S. Th. in 3. dist. 22. q. 2. a. 1. ad 2. Neclibellus contradicit, quia hoc loco solum vult quod non detur omnibus proximè sufficiens auxilium.

Hoc assertum restringit sic Arriaga d. 4. q. 1. ut dicat probabilissimum esse multos ex Gentilibus nunquam habuisse immediatam potentiam ad conversionem, consequenter nec mediata auxilia ad illam. Ratio, quia sepe dubitarunt tota vitā suā de fide, vel dubium levissimum, & non inducens obligationem interrogandi, denique quia occasionem non habuerunt; & esto habuissent, si tamen deus non venere ad instructionem, non habuere potentiam immediatam, sed tota illa in terminis